

Petrus de Vinea

*Ep. VI 5 (Pulchrum in
subditis humanitatis opus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 5 (Pulchrum in
subditis humanitatis opus...)*

1252

Priuilegium concessum P. de Hambureth.

1. Pulchrum in subditis humanitatis opus exequimur, si lapsis interdum per lubrica culpa conuitia misericordiae celeri remedio subuenimus: cum summum uindictae genus credentes ignoscere, nolimus semper culpas delere per gladium, in quibus rigorem possumus temperamento clementiae mitigare. 2. Eapropter per presens priuilegium notum facimus, et cetera, quod licet..., fidelis noster, olim ad falsas suggestiones emulorum nostrorum uisus fuerit a nostris beneplacitis deuiasse, quia tamen saniori nunc ductus consilio spontaneus rediit ad fidei nostrae cultum, et nostrae misericordiae gratiam suppliciter implorauit: nos, qui humanitatis nobis suadente clementia misereri libentius uolumus quam ulcisci, omnes offensas et culpas, quas idem... et omnes familiares et uasalli sui de... et terris aliis, cum eodem A. contra maiestatem nostram uisi sunt hactenus incurrisse, clementer eis duximus remittendas, recipientes eos in gratiae nostrae sinum. 3. Et ex habundantiori quoque gratia, quae consueuit seruitia remunerare fidelium, terram totam eidem A., fideli nostro, tam parterno et materno iure quam ex concessione quondam diui Augusti, domini patris nostri, spectantem, necnon terram, quam tenuit olim ratione uxoris suae cum casalibus, hominibus, iustis rationibus et pertinentiis suis, dicto A. et suis heredibus in perpetuum de speciali gratia et certa scientia nostra damus, concedimus ac etiam confirmamus.